



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui non bene custodierint corpus & sanguinem domini. li.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

& linteamina quæ tetigerunt stillâ tribus minister abluit vicibus, calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.

*De illo qui euomit sacrificium, & à canibus consumitur. Cap. XLVIII.*

*Ex pœnitentiâ Theodo.*

**Q**ui euomuerit sacrificium & à canibus consumitur, annum vnum pœniteat: si autè, quadraginta dies pœniteat. Si in die quando communicauerit sacrificium euomuerit, si ante mediam noctem, tres superpositiones faciat. Si post mediam noctem, duas. Si post Matutinas, vnam.

*De eadem re. Caput XLIX.*

*Ex pœnitentiâ Romano.*

**S**i verò sacrificium euomuerit, quadraginta dies pœniteat. Si infirmitatis causa, septem dies: Si in ignem proicit, centum Psalmos cantet: si verò canes lambuerint talem vomitum, centum dies qui euomit, pœniteat.

*De Eucharistia inueterata. Cap. L.*

*Ex cõcil. Aureliã. cap. 5.*

**O**mne sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est, & cinis iuxta altare sepeliendus.

*De illis qui non bene custodierint corpus & sanguinem domini. Caput LI.*

*Ex eodẽ cap. 6.*

**Q**ui non bene custodierit sacrificium, & mus, vel aliud quod aliud animal comederit illud, quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, XX. dies pœniteat. Perfundens aliquid super altare de calice quando offertur, VI. dies pœniteat, aut si abundantius, VII. dies pœniteat. Qui autem perfundit calicem dum solennitas Missæ celebratur, XL. dies pœniteat. Si verò celebrata Missa presbyter neglexerit accipere sacrificium, similiter XL. dies pœniteat, & qui acceperit sacrificium pollutus nocturno tempore, VII. dies. Diaconus obliuiscens oblationem offerre donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina pausantium, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, vt vermibus consumptum ad nihilum deuenerit, III. qua-



dragefimas cum pane & aqua pœniteat. Si integrum in-  
uentum fuerit, in eo vermis comburatur, & cinis sub alta-  
ri condatur, & qui neglexerit, quaternis diebus suam ne-  
gligentiam soluat. Si cum amissione saporis decoloratur  
sacrificium, XX. dies expleantur ieiunio, conglutinatum  
verò, VII. dies qui merfit, pœniteat.

*De eadem re. Cap. LII.*

**S**I ceciderit sacrificium de manibus offerentis terrate- *Ex pœni-*  
nus vt non inueniatur, omne quodcunque inuentum *tentiali*  
fuerit in loco in quo ceciderit cõmburetur, & cinis vt su- *Romano.*  
pra, abscondatur, & cui acciderit, medium annum pœni-  
teat. Si verò sacrificium inuētum fuerit, locus scopis mun-  
detur, & stramen vt supra, ignetur, & cinis vt supra, recõ-  
datur & sacerdos XX. dies pœniteat.

*De muliere qua pepererit, vt communicet si voluerit.*

*Caput LIII.*

**M**ulier enixa, si vult, communionem percipiat,

*Ex'conci.  
Carthag.*

Finis Libri Quinti.